



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die decima Meditatio prima. De Paradyso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

nostra, quæ præveniendò aspiras, etiam adjuvando prosequere, per Christum &c.

*Dies decima.**Meditatio decima nona.**De Paradiso.*

Post orationem præparatoriam sequentia duo formabis præludia.

Primò : imaginare tibi cœlestem Jerusalem, civitatem DEI prout describitur à sancto Joanne in sua Apocalypsi c. 20. civitas ex puro, & obryzo auro extructa; ejus fundamenta ex pretiosis lapidibus; ejus portæ ex meris unionibus, & margaritis, quam interfecat mediam flumen, idque vitalis; pellucidæ instar christalli; illuminata à claritate Dei, nec opus habet solis aut lunæ splendoribus, absque tenebris, absque omni nocte, omni umbra, & obscuritate, absque omni macula. Incolæ cœlestis hujus urbis perpetuis affluunt gaudiis, semper illustrati lumine gloriæ, quod nunquam occidit, multò minùs extinguitur.

A a

Secun-

Secundò. Pete à Deo gratiam, ut in sacro Paradyfi adyta nunc quidem solo animi intuitu, & cogitatione, suo autem tempore etiam cum anima & corpore admittaris: in hunc finem adhibe sequentes preces jaculatorias, quibus etiam toto hoc tempore matutino uti poteris: quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! *concupiscit, & deficit anima mea in atriis Domini* Ps. 33. Vel: *melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ps. 83. Vel: *satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. 16. Vel: *quando veniam, & apparebo ante conspectum Domini.* Ps. 41.

Dividatur Meditatio in hæc tria puncta. 1. Paradyfus est bonum & gaudium purum nullâ mistum malitiâ, aut tristitiâ. 2. Bonum summum. 3. Bonum æternum.

Punctum primum.

Confidera, paradysum esse bonum purum, id est ab omni malo defœcatum. Quanto pretiosior & sublimior res aliqua est, tanto faciliùs concipitur, & explicatur per terminos negativos quàm per affirmativos. Cùm magnitudinem Dei immentam capere non possimus, ideo ad illam meliùs concipiendam, solemus illam explicare negando, & removendo ab ipso imperfectiones, quæ creaturis insunt, meliùs asserendo quid non sit, quàm dicendo quid sit: nimirum, quod nullus

nullus inveniatur intellectus creatus, qui Deum comprehendat, nullus locus, qui illum circumscribat, aut includat, nullum tempus, quod illum metiatur, aut ejus durationem æternam adæquet, independens, nulli obstrictus, nullius egenus, immutabilis in suis sententiis, indefectus in suis perfectionibus: pari modo facilius concipies, quid sit æterna beatitudo, si removeas ab ea omnes miseras huic mortali vitæ proprias, quæ ad duplicem classem reduci possunt.

Imprimis in cœlo locum non habet malum culpæ: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, vel abominationem faciens.* Apocal. c. 21. In cœlo non reperitur ullum vel minimum periculum, vel occasio peccandi, non solum ideo, quia beati sunt confirmati in gratia, quo privilegio etiam Apostoli post festum Pentecostes gaudebant, sed quia ipsa Beatitudo per visionem beatificam, quam ex natura sua secum trahit, reddit ipsos impeccabiles; nam hæc vis suavissima necessitat ad amorem tam perfectum, qui omnem, & qualemcunque culpam etiam levissimam excludit.

Si ex præcedentibus meditationibus horrorem, & odium justum peccati concepisti, si contremiscis ad pericula, quibus te circumdatum cernis, in peccata incidendi, gaude & plaude tibi ipsi. Veniet dies illa, veniet dies

dies æterna, qua non peccabis amplius, nunquam amplius eris in ullo periculo peccandi, securus, quòd nunquam amplius rupturus sis suave illud vinculum amicitia, & fidelitatis, ad quam usque ad ultimum halitum constanter servandam te DEO sanctè obstrinxisti.

O quam pulchrum, & suave est! habitare in civitate sancta, prout in Apocalypsi vocatur cœlestis urbs Jerusalem, cujus incolæ omnes sunt sancti, se omnes invicem amant tenerius & sincerius quàm fratres, omnes & singuli magis gaudent de alterius felicitate, quàm de propria, ubi nullæ tremendæ malevolorum calumniæ, nulli hostium vel inimicorum assultus, nullæ proditioes fallorum fratrum, fictorum amicorum deceptiones; unde exulant omnes contentiones, prætensiones, æmulationes, invidiæ, odia, rancores, æternum exesse jubentur discordiæ, diversa partium studia, seditiones populi, bella exterorum?

Finge tibi civitatem in hoc mundo, in qua omnes vitam suam dirigerent juxta regulas ac dictamina rectæ rationis, & legis tam naturalis, quàm divinæ, in qua nihil unquam audiretur de furtis, homicidiis, de ullis dissensionibus, injuriis, æmulationibus, oppressionibus inferiorum, atque adeo omnes fruerentur perpetua, & æternissima invicem pace. Quis non optaret talis civitatis perpetuus esse incola? hæc in terris

terris non invenitur, sed solummodo in cœ-
lis, ubi fruuntur incolæ beati perpetua pace
invicem inter se, & cum Deo.

2. In cœlo nec malum pœnæ ullum lo-
cum habet. Pœna sequitur culpam, sicut
umbra corpus: ubi nullum est corpus, nul-
la est umbra; ubi nulla est culpa, nec mini-
ma culpæ reliquia, necessariò consequitur,
nihil pariter cujuscunque demum pœnæ
itidem reperiri posse. Triplicis generis pœ-
næ in hoc mundo enumerantur; ærumnæ
& angustię animi, morbi corporis, ipsa mors,
quæ separat animam à corpore: & omnes
hæ pœnæ filię & appendices sunt peccati,
quod fusè explicatur in Deuteronomio c.
28. In cœlum, sicut nullum penetrare po-
test peccatum, ita nulla pariter ex triplici
illarum pœnarum genere potest ingredi.
Nullæ itaque ibi erunt ærumnæ, vel animi
afflictiones, quæ perturbent æternam illam
tranquillitatem.

Quot afflictiones internas non sustinue-
runt Sancti in hac vita, aliquas propter ma-
la præterita, & erant afflictiones & ama-
ritudines salubris suæ pœnitentię: alias prop-
ter mala præsentia, & erant amari dolores,
quos sentiebant ob nimis diu protractam
moram in hoc exilio, & exclusionem à cœ-
lesti patria; alias propter mala futura, &
erant timores non inanes, ne inter tot pe-
ricula, & insidias salute æterna exciderent.
Nulla ex his, vel etiam alijs afflictionibus

internis in terra exantlatis cum Sanctis in
 coelum admittitur: non pœnitentium la-
 chrymæ, nam *Deus absterget omnem lachrymam*
ab oculis eorum: non luctus, neque clamor,
 neque dolor hujus exilii, nam in cœlesti pa-
 tria *non erit ultra*. Neque timor Deum per-
 dendi in æternum, nam Deus eos reddidit
 certos & securos, *quoniam habitabit cum eis, &*
ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit
eorum Deus. Apoc. c. 21. Cernent damna-
 torum horrendas pœnas ex loco securo, sicut
 qui ex alto montis vertice ridens contem-
 platur extra omne periculum positus sævien-
 tis maris frementes tempestates: videbunt
 igneo submersos mari reprobos, nec ad
 ullam commiserationem commovebuntur
 ob eorum tormenta, quin potius gaude-
 bunt, videntes quòd ita à divina justitia
 vindicentur & castigentur tot enormes inju-
 riæ, & offensæ DEO suo optimo maximo
 illatæ.

2. Ibi nullos erit invenire morbos, vel
 corporis infirmitates? Quot & quàm acerbæ
 non tolerârunt Sancti in hac miseriarum
 valle; aliquas conditioni corporis mortalis,
 & fracidi annexas, ut sunt dolores, labores,
 defatigationes, debilitatio virium, morbi,
 calor, frigus, fames, sitis: sed hæc miseria
 omnes in glorificato corpore cessabunt:
Non esurient amplius, neque sicient, neque cadet
super illos sol, neque ullus aestus. Apocal.
 c. 7.

Aliis

Aliis afflictionibus se Sancti, dum viverent, se sponte ipsimet subjecerunt, ut commissa sua peccata castigarent, & expiarent, tales erant, carnis macerationes, jejunia, cilicia, flagella, vigiliae, solitudines, aliaque asperitates variae, & plurimae, sed & haec omnes finito poenitentiae tempore finientur pariter: *fugiet dolor & gemitus.* Isa. c. 51.

Aliae fuerunt adversitates, & cruciatus, quos sancti Martyres, & Confessores Christi tolerarunt in vita a tyrannis, fidei Catholicae, virtutis, & omnis sanctitatis inimicis, & persecutoribus, sed & hi finem habebunt, cum persecutorum cruenta rabies in caelestes illas beatasque sedes penetrare, aut pedem inferre non possit: *non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Isa. c. 35.

Ibi non erit mors, nam corpus vestiatur incorruptibilitate: *oportet incorruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. Cor. c. 13.

Itaque quemadmodum praedestinatio Electorum instituta est juxta ideam praedestinationis, qua Christus fuit praordinatus, & praedestinatus, cum ipse sit causa idealis omnium praedestinatorum: ita electorum resurrectio elaborata est juxta exemplar & prototypon resurrectionis Jesu Christi, qui ab Apostolo vocatur *primogenitus ex mortuis.* ad Coloss. c. 1. *Primitiae dormientium.* 1. Cor. c. 15.

Christus postquam morte devicta rediit, vivus e sepulchro resurrexit nihil amplius habet,

quod amplius à morte timeat: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur &c.* ad Rom. c. 6. Sic & prædestinatus postquam semel ad vitam à morte rediit, nunquam amplius moritur.

Præmissis his considerationibus, fatere, & edicito clarè: si in hoc mundo reperiretur locus, qui nullis unquam obfuscaretur nubibus aut nebulis, nullis turbaretur bellis, aut discordiis, nullâ premeretur penuriâ, nunquam vexaretur aut frigore, aut calore nimio, nunquam infestaretur morbis, nec senectute nec infortuniis, nec ipsa morte; quis esset, qui non omnem conatum adhiberet, ut & ipse tam felicitatis regionis incola esse posset; tu quoque nulli parceres labori, cum gaudio celerrimè emetireris etiam difficillimum, & summè arduum iter, dummodo ad tam beatum locum duceret: Et durum tibi, nimisque arduum subinde videbitur leve aliquid, & momentaneum patienter sufferre, ut cœlum ingredi liceat, ubi nihil, nihil nec minimum quid per totam æternitatem patientiendum erit?

Punctum secundum.

Considera, quòd æterna beatitudo in cœlo sit bonum summum sive respiciatur ejus causa objectiva sive effectiva, sive materialis.

1. Causæ tuæ beatitudinis objectiva est ipse Deus, qui solus sua bonitate infinita perfectè

fectè satiare potest cor creatum, juxta doctrinam S. Thomæ I. 2. q. 3. art. 1. & omnium Theologorum: *Ego merces tua magna nimis.* Gen. c. 15. Potēsne tu desiderare aliquid majus, quàm ut per possessionem illius ipsius boni fias beatus, per quod Deus reddatur beatus? illa ipsa frui voluptate, qua se satiat ipsa sanctissima Trinitas? tu illi ipsi assidens mensæ, cui Deus assidet; tu cum ipso bibes ex eodem fonte, comedes cum ipso eundem cibum ex eadem quadra: *edetis, & biberis super mensam meam in regno meo.* Luc. c. 22.

Haud dubie tua beatitudo longè inferior erit beatitudine, qua Deus fruitur, non tamen propterea erit diversum objectum beatificans, sicut longè tenuior, & minor est lux lunæ, quàm lux solis, quamvis non sit lux diversa, est quidem diversa lucis quantitas, non tamen qualitas; sic eadem quidem qualitate ciborum vescuntur principum filioli regis mensæ assidentes, quàm principes, & regii genitores, non tamen eadem quantitate, sed certo dimenso.

Et tu interim tam demens sis, ut tuam felicitatem quæras & colles in possessione & fruitione bonorum terrenorum, dum facile potes pertingere ad possessionem & fruitionem ipsius DEI omnia bona in se continentis?

Si Deus Beatis in coelo divinum suum vultum gradatim ostenderet, si suas divinas &

Innitas perfectiones sensim & per partes de-
regeret, posset illos novis semper spectacu-
lis pascere, & recreare per totam imposte-
rum æternitatem admiratione attonitos, &
in extasim præ gaudio raptos. Quis capiat,
quid sit, & futurum sit, his omnibus gau-
diis frui simul, his spectaculis pasci uno eo-
demque tempore, possidere conjunctim to-
tum hoc immensum pelagus omnium imagi-
nabilium bonorum & gaudiorum nunquam
exhauriendum?

Tu stulti papilionis instar obscura exigua
candelulæ inescatus luce tam cæco circum-
ageris amoris impetu, ut tandem in eo am-
bustis alis scætentem, & ardentem invenias
tumbam; dum deperis, peris, cum interim
posses instar aquilæ ponere in cælis nidum
tuum, & figere oculos in divinum solem, in
æviternum Patrem luminum. Excita lan-
guentem & semimortuam fidem tuam, ut
tibi tam magna & vasta bona demonstret;
spem acue, ut firmissimè ea expectes; cha-
ritatem inflamma, ut te animet, ad ea fa-
cienda & ferenda, quæ mereantur hæc præ-
mia immensa & æterna.

2. Causa efficiens æternæ tuæ beatitu-
dinis est ipsemet Deus, qui lumine gloriæ
debilem hominis intellectum roborans, ca-
pacem reddit cognitionis intuitivæ summi
boni, & hoc possidendi per totam æterni-
tatem. Deus est summum bonum, & sicut
omne bonum est communicativum sui, Deus
est

est summè communicativus sui, & est propensissimus ad benefaciendum omnibus, suâque bona & dona impertienda? cur ergo adhuc in terra non pleno cornucopiæ in nos liberalissimè effundit suas gratias, scisne causam?

Tria sunt obstacula, quæ ejus liberalem, & beneficam manum inhibent. Primum est, peccatum, quod limites ponit immensis favoribus, quibus nos cumulare cuperet inexhausta Dei beneficentia: In paradyso terrestri, quamdiu Adam in statu justitiæ originalis, & innocentiae, ab omni peccati obstaculo vixit, quo gratiarum diluvio eum non inundavit?

Secundum obstaculum est mixta in hoc mundo cohabitatio justorum cum peccatoribus, ob hanc Deus sæpe non utitur tota ea familiaritate & liberalitate cum justis, ad quam suus eum genius, & propensio nobis benefaciendi impelleret, sicut è contrario non rarò accidit, ut justis in aliqua regione vel urbe injustis & reprobis permixti conceptum, jamque prorupturum in acerrimam vindictam exacerbata Divinæ Nemesis furorem sistant, & extinguant: hinc si decem tantum justis in infelici Sodoma inventi fuissent, hic ipse pusillus grex suffecisset ad arcendas, & extinguendas devoratrices flammæ, quas vindex cælum ad castigandas, & abolendas urbes illas infames depluit. Non rarò pariter etiam contrarium evenit,

evenit, ut peccatores justis permixtim conviventes claudant exundantes cœli, divinæque misericordiæ cataractas, & super provincias, & urbes jamjam effundendos gratiarum imbres, & voluntarias favorum pluvias avertant & impediant.

Tertium obstaculum ponitur ab ipsismet justis, qui quamvis justis sint, non tamen suis carent imperfectionibus moralibus, & istæ quoque, quamvis longè minore robore, obstruunt divinæ liberalitati aditum, & que manus stringunt, ne tam largè, ut optaret, sua nobis munera dispenset.

Sed in cœlo omnia hæc obstacula erunt sublata, nam ibi nullum, nec minimum stabulatur peccatum, nulla ibi permixtio peccatorum cum justis, nulla ibi labecula, vel imperfectio justis inhærens, unde sublatis omnibus obstaculis, omni semoto obice tam divinæ bonitati, quàm divinæ beneficentiæ, plenò alveò se divini favores in Beatorum corda effundent, & eos non jam guttatim solatiis irrorabunt, sed torrente voluptatum potabunt, ut David Ps. 33. prædixit: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, & inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: ebrii, pleni, superpleni gaudia & solatia jam non haurient, sed ab ipsis haurientur, ita ut in seipsis capere non possint gaudiorum excessum, quo obruentur, unde dici poterit, non quòd gaudium in ipsorum cor intraverit, sed quòd cor immersum fuerit in*
im.

immensum gaudiorum mare: *intra in gaudium Domini tui.* Matth. c. 25. En quousque liberalitatis, ne dicam prodigalitati Deus perveniat ut suos Electos remuneretur.

Ut hoc melius intelligas & capias, hæc duo attentè perpende. Deus in hac etiamnum vita largis compensat præmiis opera quædam moraliter honesta, quamvis mortua, charitate, & gratia sanctificante, quæ est omnium nostrarum actionum vera vita & anima, destituta, etiam peccatorum, suorum inimicorum: ut ejusmodi actiones remuneraretur antiquis Romanis Imperium contulit totius fermè orbis, si D. Augustino credimus: jam cum eodem sancto Doctore conclude, quæ, & quàm pretiosa erunt præmia, quibus Deus amicorum suorum remunerabitur actiones sanctas, vivas, in statu gratiæ peractas, dic cum ipso: *Quid dabit Deus iis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit illis, quos prædestinavit ad mortem?*

Deinde cogita, si Deus ex sua natura longè magis propensus ad præmiandum, quàm ad puniendum, supra damnatos in inferno integrum variarum poenarum diluvium effundit, ut in meditatione octava explicatum est, & tamen hos punit *citra condignum*, quod, & quàm grande diluvium consolationum, & gaudiorum non depluet ex alto super Electos de se tam benè meritos *ultra condignum*. Itaque novos tibi summè
agi-

animos, Deo Optimo Maximo serviendi majore quàm unquam aliàs fervore, & amore, omnibus viribus impostero qui tanta liberalitate, & munificentia remuneratur obsequia etiam minima, quæ ipsi exhibentur.

3. Causa materialis tuæ beatitudinis erunt facultates & potentiæ non solum animæ spirituales, sed etiam corporis materiales. Verum quidem est, veram beatitudinem, hujusque substantiam suam sedem in anima habituram. Intellectus intuebitur Deum in seipso immediate, nulla intermediente specie creata, sed ipsa essentia divina seipsa menti tuæ conjuncta officium speciei creatæ intelligibilis subibit, & omnem hujus necessitatem excludet, ita ut Deum cognoscas eo modo, quo Deus seipsum cognoscit: *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1. Joan. c. 3.

O quot veritates naturales, & supernaturales in Deo videbis: in unico momento millies doctior evades, quàm Platones, Aristoteles, & Augustini. Tu, cum sis Ecclesiasticus, diu insudabis libris, ut scientiam aliquam discas, & sæpè nihil discas aliud, nisi quòd tandem cogniturus sis, te nihil scire. Tunc in momento unico in Verbo discas omnes, omnes scientias sine omni labore, & difficultate, & superabis omnem omnium doctorum qui hætenus in terra fuerunt, sunt, & erunt, subtilitatem ingenii, sapi.

sapientiam, & doctrinam, quæ tuæ tunc
 haustæ scientiæ comparata erit pura igno-
 rantia. Voluntas tua possidebit in DEO
 omne bonum, tam profundè immersa di-
 vinæ felicitati, amicitia tam arcta Deum
 inter, & eam intercedente, ut Deus gavi-
 surus sit tantùm de ejus felicitate, quantum
 de propria, vicissim & ipsa millies liquidius
 sentiet gaudium de felicitate Dei, quàm
 de propria, qua fruitur. Nullum concipi-
 es desiderium, quod non statim implebitur,
 nam divina bonitas infinita prompti-
 tudine obsecundabit omnibus tuis propen-
 sionibus, & inclinationibus: totus in Deum
 absorptus vitam vives divinam, & ferme
 instar alicujus Dei habebis: *dabo ei sedere
 mecum in throno meo.* Apoc. c. 3.

Si unica guttula ex mari tuorum gaudio-
 rum, tuæ felicitatis in ipsum infernum de-
 flueret, Augustini judicio, pœnas illas om-
 nes acerbissimas in amœnum rorem, illud
 fel draconum in dulcissimum mel conver-
 teret, & infernalem illum desperationis æter-
 næ nidum in domicilium omnibus votis
 exoptandum converteret: *Si future gloriæ
 una gutta deflueret in infernum, totam damnato-
 rum amaritudinem dulcoraret.* Ita ut dici possit,
 infimum ex Beatis plus gaudiorum habitu-
 rum, quàm pœnarum toleraturi sint omnes
 simul damnati.

Etiã memoria speciale habebit suum
 oblectamentum dum sibi ob oculos ponet
 labo-

labo.

labores susceptos, & dolores Dei amore toleratos in hoc mundo, & si quis dolor in Beatos cadere posset, is foret, quod non plura, dum in vita, & via erant, pro Deo, & amore Dei passi sint. S. Petrus de Alcantara post mortem apparens S. Theresiæ, in hæc prorupit verba: *O beata pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam.*

Hæc est rudis aliqua delineatio, & idea gloriæ, qua fruetur anima, quæ commune aliquid habebit cum gloria Deo propria, superest ut aliquid dicamus de beatitudine corporis, in quod de beatitudine exuberante animæ plurimum redundabit.

Corpus tuum, ut reliquarum Beatorum corpora gloriosa, quatuor dotibus sive privilegiis condecorabitur; *subtilitate* spiritibus propria, ita ut durissimos montes eadem facilitate transire ac penetrare possit, quæ solis radii limpidissimam crystallum penetrant; *agilitate*, ita ut in iectu oculi ab uno ad alterum mundi polum transvolare possit majore velocitate, quàm fulmen nubibus excussum in terras præcipitatur; *impassibilitate*, ita ut non sit amplius subjectum ullis doloribus, vel infirmitatibus, nec morti, sed æquè ac anima ipsius socia ac domina, immortale: *Claritate*, ita ut vultu suo illuminaret clariùs totum mundum, quàm id præstet ipse sol, quando die innubi summum circuli meridiani apicem conscendit.

Sin.

Singuli sensus habebunt sua oblectamenta congrua singillatim. *Oculus* pascetur contemplando, & videndo Christum, Beatissimam Virginem, Beatos omnes, penetrabit acie sua interiora, & intima in sinu recondita omnium corporum materialium, quæ oculis Beatorum erunt omnia diaphana, & transparentia. *Aures* deliciabuntur in suavissimis, & familiaribus colloquiis cum Christo, cum beatissima Virgine, cum reliquis cœlitibus, institutis, in percipiendis cœlestibus concentibus, & omnem artem musicam superantibus variorum instrumentorum sonis. *Odoratus*, olfaciendo cœlestem fragrantiam illius æterni veris, quo *justi flore- bunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt. Gustus* satiabitur perpetuo sapore, sine omni nausea, omne nectar, omnem ambrosiam, omnes etiam Apicii cupedias longè superante; *omne delectamentum in se habente. Tactus* immunis ab omni prorsus dolore, & vel minima molestia fruetur perfectissima corporis sanitate, ut illud Davidis impleatur: *Caro exultavit in Deum vivum. Psal. 83.* Ipsa hæc caro tua per omnes quinque sensus diffusa, in singulis specialem sentiet voluptatem: *Caro, quamvis spiritalis effecta, per omnes sensus suos exuberabit deliciis. Laur. Justin. l. de discip.*

Dum tibi tot & tanta bona ob oculos ponuntur, poteruntne te allicere, & inescarte bona fluxa & inania hujus vitæ? quin si

tam avidè inhias bonis & deliciis sensibilibus & corporeis, etiam hæc non deerunt, hoc solo cum discrimine, quòd non sint futura sordidæ, turpes, caducæ, defectuosæ, ac deceptoræ, quales sunt omnes hujus vitæ voluptates, aut deliciae, sed veræ, puræ, illimes, ab omnibus sordibus defæcatæ & æternùm duraturæ. *Hoc quod exiguum amatis, insinuamus, ut ametis æternum.* S. Eucherius Ep. 1.

Punctum tertium.

Confidera, cælum esse bonum aliquod perpetuum & æternum, maturè itaque examina æternitatis hujus longitudinem, certitudinem, & amplitudinem.

1. In memoriam revoca comparationes illas, quas adhibuisti in ultimo puncto Meditationis octavæ ad adumbrandam, durationem interminabilis & nunquam finiendæ æternitatis. Postquàm gavissus fueris cœlestibus gaudiis tot millionibus sæculorum, quot momenta fluxerunt ab orbe condito ad hæc usque tempora, & adhuc fluent usque ad diem ultimi judicii, tua beatitudo incipiet, & quodammodo renascetur, nec unicum minimum instans de futura æternitate decerptum erit.

Bonum

Bonum aliquod tanto pluris fit, quò diutius durat: quanti ergo faciendum erit bonum, quod nunquam deficit, aut desinit sed semper durat? Plus valet infimum Paradysi bonum, aut gaudium, ideo, quia æternum duret, quàm valeant omnia temporalia bona hujus mundi in unum collecta fascem, etiamsi per plurima possiderentur sæcula, tandem tamen finienda. Quin si immensa beatitudo, qua fruitur ipsa SS. Trinitas, finiri tandem posset, huic præferenda esset beatitudo cujusvis etiam minimi in cælo Sancti, si hæc foret æterna, & nunquam cessatura, si quidem immensus & incomprehensibilis ille oceanus divinæ felicitatis semel exhauriendus & exiccandus foret.

Et tu tam stolidus eris; ut bonum tam magnum, & tam solidum permutes bono transitorio, vano, quod non raro vix unico durat momento, & instar fumi avolat.

Nec tibi falsò persuadeas, quòd diuturnitas gaudii secum trahat satietatem, quæ nauseam pariat: hoc proprium est gaudiis & deliciis hujus mundi. Mensa quantumcunque opipara, & lauta, comædia quantumcunque bene instructa, faceta, peripetitiis gratiosè involuta, & evoluta, harmonia musica quantumvis suavissima, si nimium duret, & protrahatur, tædium creat, & nauseam. Sed hujus fursuris non sunt

gaudia & deliciae coelestes. Musicus ille concentus, quem Beati in caelis intonabant ante thronum Agni, vocatus est à S. Joanne concentus novus, quamvis esset antiquissimus, quia in se continebat omnem suavitatem, & amœnitatem, quam novitas solet conciliare. *Cantabant canticum novum.* Apoc. c. 5.

Sed si gaudium terrenum nimia sua duratione in supplicium converti potest, quam grande, & sincerum bonum non erit ipse paradysus, qui te felicem & beatum reddet gaudio semper novo, & semper antiquo, semper uno eodemque.

2. Si Beatus de æternitate suae felicitatis certus, & securus non esset, omne ejus gaudium turbaretur, & amaritudine perpetua inficeretur, timeret enim, ne tempore inexpectato tota sua felicitas tam magna & inexplicabilis finiretur, & ipsum destitueret ex felicissimo infelicissimum, tanto majorem animi dolore, quanto major fuisset felicitas, cujus amissio semper timenda fuisset; sed procul abest à Beatorum animis hæc anxia sollicitudo: sunt ipsi nimis quam certi & securi, felicitatem suam nullo clausam termino, æternum duraturam. Hæc certitudo de beatitate futura, cedit ipsis in beatitatem, & gaudium præsens, & facit, ut singulis momentis fruantur integra æternitate suorum gaudiorum, imò tot æternitatibus,

tibus, quot sunt momenta infinita æternitatis.

Globus perfectè rotundus ac sphæricus, unico tantùm, & minimo sui puncto tangit, ac premit superficiem tabulæ perfectè planam, cui incumbit; & tamen in unico illo puncto tabulæ imprimit totum globi, etiam gravissimi immane pondus. Idipsum dicitur de grandi, & gravi circulo totius æternitatis, qui sine caret, & ab Apostolo vocatur: *æternum gloriæ pondus*: tangit Beatum unico sui puncto, & minima sui parte, sed dum illum simul certum reddit de sui æterna duratione, per unicum illud punctum ipsi totum illud gaudium, quod percipiet per totam æternitatem, instillat, sicut damnatus quovis momento patitur, & sentit pondus omnium suorum tormentorum, & cruciatuum æternorum; & quemadmodum apud damnatos malorum omnium supremum, & culmen est desperatio, ita apud Beatos gaudiorum, & felicitatum omnium apex, & supremus vertex est, securitas & certitudo de earum æternitate est. Est tu toties te præsentis periculo tot ac tanta bona amittendi temerè te exposuisti.

3. Hic toties multiplicare debes hanc æternitatem gaudiorum, qua fruitur quovis instanti beata anima, quot in cælo numerat socias, æterni gaudii participes: nam *quot socii, tot gaudia*, juxta mentem & effectum Augustini, cum enim inter Beatos vera,

& sincera semper vigeat amicitia, necesse pariter est, ut inter ipsos vigeat vera, & perfecta omnium bonorum illorum, quibus singuli fruuntur, mutua communicatio. Quivis gloriatur, & gratulatur alteri suam felicitatem, & ita loci sui gloriam & felicitatem suam & propriam facit, atque ita suæ gloriæ propriæ, etiam alienam adjicit.

Quinimò Sanctus major & superior magis gaudebit de gloria inferioris, quàm inferior ipsemet, qui illam possidet, nam Sanctus superior plus, & ardentius amat Deum, quàm Sanctus inferior, & hinc lætatur de honore, qui in Deum resultat ex beatitudine Sancti inferioris, atque ideo ex hac majus percipit solatium & gaudium, quàm ipsemet Sanctus inferioris gradûs, ac subsellii.

Quid jam de præmii, quod tibi Deus pro tuis obsequiis, & laboribus sibi impensis promittit, magnitudine judicas? potesne desiderare majus? Cùm igitur vestem Ecclesiasticam indueris in signum servitutis Deo, ac Domino tuo addictæ, te ipsum anima & stimula ad prosequendum strenuè ac indefessè captum opus proposito tibi inestimabilis præmiò: Renova actus fidei, spei & charitatis novo fervore, & dic corde & ore

Omnipotens sempiternæ Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare,

mare, quod præcipis: Per Christum Dominum nostrum Amen.

*Dies decima.**Meditatio vigesima.**De amore Dei.*

Premissæ orationi præparatoriæ solitæ subjunges sequentia duo præludia.

Præpone tibi Deum matris instar filium suum, quem suis effudit visceribus, tenerri-
mè amantis. Excubias agit, dum ipse in cunis
sapidè & omnis curæ expers somnum capit:
expergesactum ulnis excipit, sinu fovet,
propriis lactat uberibus, gressus molientem
sustentat, ducit, dirigit, ne cespitet, im-
pingat, & corruat, omnibus eum prose-
quitur blanditiis, quas tenerrimus amor ma-
tribus erga suas proles cordis sui dimidium
dictare solet.

In secundo gratiam à Deo pete ritè cog-
noscendi suam infinitam amabilitatem, ut
eum triplici amore prosequi possis. i. amore
appretiativo, eum præferendo rebus omni-
bus,

Bb 4

bus,